

istis circa literam Genesis, duo sunt obseruanda: Primum est, vt inuolubiliter tenemus scripturam sacra esse veracem. Secundum, ne quis nimis vni expositioni adhaereat, quando scriptura multipliciter potest exponi. De hoc diffusè & humiliter, immò & sapientissimè scribit duodecimo ac tertio decimo lib. Confessionum, què admodum ad indagandum sensum scripturæ Genesios debemus accedere sinè temeraria assertione huius aut illius expositionis. Tertio est pensandù, quod super secundum Sententiarum distinctione duodecima scribit Thomas: Eorum quæ spectant ad fidem, quædã sunt per se de substantia fidei, vt Deum esse vnum ac trinum, & in talibus omnes sancti patres atque catholici expositores concordant, nec licet in talibus diuersimodè opinari. Alia verò non sunt per se de substantia fidei, sed per accidens se habent ad eam, in quantum videlicet in scriptura traduntur, quæ fides præsupponit esse à spiritu sancto, & in talibus sancti quædoquè diuersimodè sentiunt. Sic quoquè circa principium mundi aliquid ad substantiam fidei pertinet, vt quod mundus per creationem à Deo incipit, & hoc omnes catholici vniuersimodè tenent.

¶ Porro quo modo ac ordine factus sit mundus, non pertinet ad fidem, nisi per accidens, vt potè in quantum hoc traditur in scriptura, quæ diuersimodè potest exponi, & veritas eius per diuersas expositiones saluatur. Sicquè circa creationem mundi doctores diuersimodè sentiunt, varijs modis exponendo scripturas, non tamen recedentes à fidei veritate, nec sibi inuicem præiudicantes aut derogantes incauta assertione. Hinc ait Albertus libro de 4. coequeuis: Spiritus sanctus duobus modis inspirat expositores scripturæ. Primo, quantum ad consentaneum rationi, & non contrarium fidei, hoc est, vt sequantur id quod ratio magis dicitur, nec tamen est contra fidem. Secundo inspirat eos, quantum ad consentaneum auctoritati. Primo itaq; modo motus est ac processit Augustinus, exponendo exordium Genesis, prout rationi magis consentaneum esse videtur, non tamen negando quod auctoritas exigit. Alij verò expositores magis secuti sunt, quod auctoritas scripturæ videtur prætere, non tamen negantes quod secundum rationem est consequens. His præmissis, tangendæ sunt expositiones celebriores huius, quod dicitur, In principio creauit Deus cælum & terram, quantum ad vltimam istam particulam, scilicet, cælum & terram: & etiã quantum ad textu sequen-

tem, cuius intelligentia ex intellectu & expositione particulari eius pro magna parte dependet. Deinde propositio ista, In principio creauit Deus cælum & terram, per se sumpta, non videtur ad intelligendum difficilis: sed verba textus statim sequentiã, difficultatem eius inducunt. Mox enim subiungitur: Tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas. In quibus verbis insinuat, quod cælo & terra creatis, abyssus & aqua pariter extiterunt, de quorum creatione non videbatur aliquid tangi in verbis his, In principio creauit Deus cælum & terram. Rursus paulò post legitur, firmamentum quod vocatum est cælum, esse factum secunda die: idcirco obscurum fit de quo cælo dicitur, In principio creauit Deus cælum & terram. S. igitur Augustinus, cõsiderans quòd litera Genesis, quantum ad superficiem suam, patet irrisioni calũijsq; infidelium, & eos à conuersione ad fidem auertere potest, eò quod videatur inflatè pòtarum & quorundam philosophorum, ab Aristotele satis reprobatorum, ponere quoddam chaos confusum in exordio mundi, excogitauit quandã expositionem subtilem, per quam defendit scripturam ab irrisione huiusmodi: & tamè saluauit scripturæ ac fidei veritatem. Itaq; dixit, quòd sicut Deus omnipotens omnia in seipso vnicò actu intelligendi perfectè & distinctè cõcipit & cognoscit, ac intra se exprimit, sic in eodè inflatè oia opera sex dierũ simul & distinctè produxit, eadem præcise intelligendo, atq; vt essent iubèdo. Cui expositioni videtur consonare illud in Psalmò: Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Et quod in Ecclesiastico legitur: Qui viuunt in æternum, creauit omnia simul. Quod itè Moses ait, Dei perfecta sunt opera. Et quod in hoc ipso Genesis libro paulò post subditur: Istè sunt generationes cæli & terræ, in die qua creauit dominus cælum & terram, & omne virgultũ agri, oemq; herbam regionis, cùm tamè virgulta & herbe infra legantur tertia die producta. Hæc ergò intus Augustinus, dicit opera sex dierum simul facta distinctè. Vnde ait Albertus libro de 4. coequeuis: Augustinus reuera ponit omnia simul creata in materia & forma, quæ scilicet natura nõ potest per se producere motu superiorum, videlicet cælestium corporum & commixtionem elementorum. Et idè cælum à principio factum esse cum suis stellis, & terra cū animalibus suis, aqua quoquè cū natatilibus atq; volucribus: & breuiter, oia in speciebus suis simul educta sunt,

August.

Psal. 32.
& 148.Ecc. 18.
Deut. 32.

Gen. 2.

Albertus.

Albertus.